



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De dulcedine divini amoris, 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



ferum multis mœroribus plenum, dum vitæ meæ finem timeo, dum peccata mea confidero, dum iudicium tuum formido, dum mortis horam cogito, dum supplicia tartari horreo; dum opera mea, qua districtione & discussione à te pensentur, ignoro, dum quo sine illa clausurus sim, penitus nescio.

2. Cumque hæc & alia multa mecum sub corde retracto, consolaturus ades solita pietate Domine Deus, & inter has querelas nimiosque ploratus ac profunda cordis suspiria assumis mœstam & anxiam mentem super alta juga montium, ad areolas usque aromatatum, & collocas me in loco pascuæ, secus rivulos dulcium aquarum; ubi præparas in conspectu meo mensam multiplicis apparatus, quæ fatigatum spiritum repauset, & corde triste lætificet: quibus tandem refocillatus deliciis, multarum miseriarum mearum oblitus, levatus super altitudinem terræ, in te vera pace quiesco.

## CAPVT X.

*De dulcedine divini amoris.*

1. **A**mo te Deus meus, amo te, & magis atque magis amare te volo. Da mihi, Domine Deus meus, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo, & quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari; præsertim à nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta & talia fecisti.

2. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! dulcis Christe, bone Iesu,



charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, jucunditate & exultatione tua, pietate & suavitate tua, voluptate & concupiscentia tui; quæ sancta est & bona, quæ casta est & munda; ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuæ charitatis vaporatus, diligam te, Dominum meum dulcissimum, & pulcherrimum, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, & ex omni intentione mea: cum multa cordis contritione, & lachrymarum fonte: cum multa reverentia & tremore: habens te in corde & in ore, & præ oculis meis semper & ubique; ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus.

## CAPVT XI.

*De preparatione nostræ redemptionis.*

I. **P**ulcherrime Iesu Christe, rogo te, per illam sacratissimam effusionem pretiosissimi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem & lachrymarum fontem, præcipue dum preces & orationes tibi offero. Dum tuæ laudis tibi psalmodiam decanto. Dum mysterium nostræ redemptionis, manifestum misericordiæ tuæ iudicium, recolo vel profero. Dum sacris altaribus, licet indignus, assisto: cupiens tibi offerre illud mirabile & cæleste sacrificium, omni reverentia & devotione dignum; quod tu, Domine Deus meus, sacerdos immaculate, instituisti, & offerre præcepisti in commemora-